

et veniam per poenitentiam spondit ». Ambrosius De Poenit. L. I. c. 16. « Si quis igitur occulta crimina habens propter Christum tamen studiose poenitentiam egerit, quomodo ista recipiet, si ei communio non refunditur? volo veniam reus speret, petat eam lacrimis, petat gemitibus, petat populi totius fletibus, ut ignoscatur obsecret, et cum secundo et tertio fuerit dilata eius communio, credat remissius se supplicasse, fletus augeat, miserabiliter postea revertatur, teneat pedes brachiis, osculetur osculis, lavet fletibus ». Atqui haec est poenitentia publica, quae occulto quoque reo praescribitur: ergo.

Respondeo: poenitentia publica praecipiebatur pro quovis peccato gravi publico, *omitto*, quia et hoc quoque falsum est, cum in canonicis non omnia peccata enumerentur unquam: pro occultis, *subd.* erat obligatoria, *nego*, si sponte acceptabatur, sicut etiam pro peccatis publicis, quorum canones mentionem non fecerant, *conc.*

Neque opus est verba Tertulliani accipere de poenitentia publica: quamvis enim ibi agat directe de hac, tamen mentio generis non est aliena a sermone, in quo agitur de specie; et praeceptum poenitentiae generatim spectatae probationem suppeditabat Tertulliano necessitatis poenitentiae illius, quam disciplina Ecclesiae requirebat pro peccatis publicis: posita enim ea disciplina, necessitas illius poenitentiae non erat nisi applicatio principii generalis de necessitate poenitentiae.

Repugnat autem historice ita accipere verba citata Ambrosii, ut voluerit quoque peccatores occultos publice poenitere, cf. citatum testimonium Paulini: porro loquitur quidem Ambrosius de iis, qui pro crimine occulto poenitentiam petunt, sed qui libere, non ex vi alicuius legis petunt; *propter Christum tamen*, inquit; scilicet quamvis, cum sit occultum crimen, non teneantur, propter amorem tamen Christi, studiose petunt. Quibus obiter dictis, redit ad ea quae communiter spectant ad poenitentes publicos. Lege Diatribam Sirmondi De poenitentia publica.

VI. Ex dictis consequitur atque ex ipsa Sacramenti natura suadet voluisse Institutorem Sacramenti ut fidelibus competeret ius secretae confessionis et hoc secretum inviolabiliter a Sacerdotibus custodiretur. Sane *a)* si testimonia perpendamus, regula est apostolica h. e. ab Apostolis traditum, quod sufficiat confessio secreta nempe soli Deo facta ac Sacerdoti, quemadmodum praxi sua Ambrosius quoque probavit: at si Apostoli, tradentes Ecclesiis institutionem huius Sacramenti, tradiderunt quoque sufficere confessionem secretam, non esse revelanda peccata poenitentium, non esse adigendos poenitentes ad publicam confessionem, hoc ipso docuerunt Sacramentum

hoc ita esse institutum ut fideles ius habeant confitendi secreto, obligationemque sacerdotes custodiendi secretum. Illud enim ius et hanc obligationem non colligit s. Leo simpliciter ex aliqua naturali lege, sed ex traditione apostolica: Apostoli autem quae Christus instituit et iussit tradiderunt. In idem redit, etsi traditionis Apostolicae mentionem non faciat, quod ex Augustino audivimus, cuius sententia consonat prorsus sententiae Leonis. Cum doctrina cohaeret praxis manifestata nobis tum electione Presbyteri poenitentiarum, qui esset secreti tenax, tum iis, quae de Ambrosio narrat Paulinus, in quibus advertenda illa vocula *quotiescumque*, qua significatur quod non tantum huius aut illius, sed omnium, quas audiebat Ambrosius, confessionum secretum custodiebat. Eadem praxis manifesta fit nobis quoque ex eo quod illa improbabilis consuetudo in Campania inducta, recens esset et a paucis contra fas et licitum usurpata; id enim plane colligitur ex verbis Leonis: ergo communis et antiqua erat praxis opposita, illa nempe quam tuetur Leo. Tandem post sextum seculum nemo negat praxim hanc communem fuisse ac in Ecclesia universalem persuasionem viguisse immutabilem (licet quidam identidem in quibusdam difficilibus casibus aliter senserint, quod locum habuit quoque quoad alias veritates revelatas) obligari Sacerdotes iure divino ad sigillum: cuius persuasionis ratio Apostolica Traditio sola esse potest, cuius testes antiqui sunt ii, quos citavimus.

b) Si natura Sacramenti spectetur, satis constat ibi non considerari peccatum prout est offensa societatis aut aliorum, sed solum prout est offensa Dei, quam Deus ministerio Sacerdotis dimittit, agi proinde ibi causam hominis tantummodo cum Deo. Atqui haec est causa prorsus secreta, sicut secreta est conscientia cuiuslibet, et divina operatio conscientiam hominis immediate afficiens. Qui ergo minister est Dei in hac causa, conditionem eiusdem participare debet, ut quod in hoc tribunali gestum est, nulla ratione extra ipsum prodatur. Alia ratione idem probatur s. Thomas petita ex significatione Sacramenti (in 4^a. D. 21. q. 3. a. 1). « In Sacramentis ea, quae exterius geruntur, sunt signa rerum, quae interius contingunt: et ideo confessio, qua quis sacerdoti se subiicit, signum est interioris subiectionis, qua quis Deo subiicitur. Deus autem peccatum illius, qui se subiicit per poenitentiam, tegit. Unde et hoc oportet in Sacramento poenitentiae significari. Et ideo de necessitate Sacramenti est quod confessionem celet, et tanquam violator Sacramenti peccat qui confessionem revelat. » Quocirca ibid. advertit s. Doctor quod sicut de iure divino est praeceptum confessionis, ita et obligatio sigilli. Et quia hoc est forum divinum, in quo causa hominis cum

Deo agitur, monet ibid. quod quae Sacerdos scit ex confessione poenitentis, non scit ut homo, sed ut Deus seu minister Dei, a quo solo immediate dependet in exercitio sui ministerii. Ad hanc doctrinam, quam defendimus, inculcandam conducunt, si bene perpendantur, tot testimonia Chrysostomi perperam adeo contra doctrinam catholicam ab haereticis citata. Confessio scilicet Sacramentalis est *confessio quae fit Deo, soli Deo*, quia est confessio in foro divino, confessio ex essentia sua secreta.

Aliam rationem obligationis sigilli sacramentalis ducunt theologi cum s. Thoma ibid. ex utilitatibus eiusdem, quam audivimus a Conc. Senonensi antea citato.

VII. Reliquae sunt difficultates duae contra primum et alterum membrum, quas huc reiecit, ut evidentius solverentur.

Ait ergo Morinus L. V. c. 26: potuit Ecclesia etiam pro occultis delictis poenitentiam publicam imponere; ergo saltem argumenta petita ex inhonestate actus nulla sunt. P. A. Ecclesia vetus suspendebat vel deponebat clericos etiam propter occulta delicta: porro eam poenam occultum delictum manifestabatur vel poterat manifestari; poterat igitur Ecclesia poenam imponere, qua occultum peccatum manifestaretur: ergo licebat ei et poenitentiam publicam pro occultis iniungere.

Respondeo. Quaestio non est utrum pro delicto occulto poena imponi possit, propter quam contingat mediate manifestum evadere peccatum: id nemo negat et etiam nunc censurae latae sententiae infliguntur propter peccata etiam occulta; sed poena per se est occulta, nec excommunicati iubentur publicare suam excommunicationem. Sed quaestio est utrum *pro peccatis auditis in confessione* possit poenitenti, independenter ab eius libera acceptatione, imponi poenitentia, qua *immediate* peccatum plus minus manifestetur. Sermo est enim de poenitentia formaliter publica, quae ut talis nempe cognoscatur, qua proinde tanquam signo immediate manifestatio fit peccati saltem in genere. Hoc profecto aliud est quam *poenam per se occultam* delicto occulto *extra sacramentum* imponere. Nam 1° poena per se publica est improporcionata peccato occulto: 2° praecipue quia forum sacramentale est forum divinum, in quo causa agitur, cuius notitia societatis humanae nullatenus interest, sed spectat tantum ad Deum, qui idcirco pro eodem foro legem sigilli statuit, ut ipse Morinus L. II. c. 49. docet et probat « Ecclesiam scilicet continua Traditione ab Apostolis accepisse, Confessionis sigillum nunquam esse resignandum ». Etiam si vero liceat confessario retinere peccata, qua retentione quis prohibetur a sacra communione, unde suspicio oriri potest in iis, qui id adverterent, alicuius gravis

peccati malique habitus, id non sequitur ex aliqua actione confessarii, propter quam ipse dici possit manifestare peccatum, sed ex mala voluntate confitentis ac natura potestatis a Christo institutae, cui se libere subiicit quicumque confitetur.

Ludit vero Morinus cum ait publicam poenitentiam fuisse perinde ac excommunicationis censuram: etsi enim in aliquo convenirent, ut ex testimoniis veterum allatis colligi potest, tamen per se et formaliter publica poenitentia et censura excommunicationis differebant. Nam ea poenitentibus, haec contumacibus infligebatur: ea petenda erat, hanc quis desideret? ea imponebatur ut peccator coram Deo satisfaceret et signa conversionis Ecclesiae exhiberet, haec infligitur ut quis a contumacia recedat, qua desinente tollitur quoque censura, quae proinde non habet ullum spatium temporis definitum, sicut habebat poenitentia canonica: ea per se spectabat ad forum divinum, haec per se spectat ad forum Ecclesiae.

Quod vero subdit Morinus unum tunc fuisse forum in Ecclesia, falsissimum est. Duplex enim tunc erat, sicut nunc est, forum, internum nempe et externum. Internum forum est forum iudicii, in quo peccata remittuntur aut retinentur coram Deo, est forum Sacramenti, in quo confessio est Sacramentalis, ordinata nimirum ad absolutionem, sive ea confessio sit secreta, sive publica. Forum externum est forum iudicii, in quo Ecclesia poenas imponit aut dimittit aut de causis iudicat vi auctoritatis, quae ei competit sicut cuilibet perfectae societati. Porro fuisse semper in Ecclesia duplex forum facile probatur: nam fuit certe in Ecclesia forum Sacramentale, quod est internum: fuit etiam forum non Sacramentale, ut patet ex Paulo damnante Corinthium incestuosum, quae damnatio non fuit actio fori interni, cum non fuerit confessio Sacramentalis incestuosi ad Paulum, qui etiam absens damnavit.

Editores Maurini operum s. Ambrosii in nota ad eiusdem verba paulo ante a nobis citata ex lib. 1. De Poenit. c. 46. ita ratiocinantur. Certum est autem esse honestum si quis sua occulta crimina ex humilitatis et poenitentiae amore publice confiteatur: atqui quod honestum est, potest a legitima auctoritate praecipere, cuiusmodi est auctoritas Ecclesiae; ergo non est cur ex inhonestate actus negetur Ecclesiam id olim praecipisse.

Respondemus hoc argumento probari Ecclesiam posse praecipere omnibus omnes actus virtutum et mutare Christi consilia in praecepta, quod est profecto nimis et alienum a potestate Ecclesiae, quae licet sit potestas ligandi et solvendi omnia et omnes, habet tamen suos naturales limites determinatos tum ex eo quod est potestas delegata, tum ex fine, propter quem est instituta, qui

postulat quidem ut potestas legislativa Ecclesiae valeat ea praecipere, quae ad bonum animarum necessaria sunt et utilia, non vero ut valeat obligationem imponere fidelibus ad ea omnia, quae per se bona sint. Iam vero etsi bonum honestumque sit quod fidelis sponte peccata sua publice confiteatur, non est tamen bonum quod ad id obligetur. Nam illud non adversatur institutioni Christi, qui voluit ius competere fidelibus confessionis secretae, istud adversatur; illud non deterret fideles a confessione et perceptione Sacramenti, istud deterret, illud proinde non opponitur bono communi sito in usu huius Sacramenti, istud opponitur. Ex quibus liquet, quod licet actus ille liber sit in se bonus, eius tamen praeceptum, quo obligatorius redderetur, non esset bonum: ad praecipendum autem aliquid non satis est rem esse in se bonam, sed opus est ut sit bonum id praecipere seu ut res bona maneat sub praecepto, pro quo certa requiritur auctoritas, quae hac in re Ecclesiae deest; nequit enim ipsa derogare institutioni Christi. Perperam vero provocatur ad regulas religiosarum Societatum, in quibus id praecipitur quod per se liberum est: nam eae societates sponte et libere a quolibet ineuntur; idcirco quilibet libere renunciat iuri suo, et huic hypothese leges illae innituntur. At Ecclesia est societas necessaria; unde negatur paritas.

ARTICULUS III.

DE SATISFACTIONE.

I. Satisfactio est actio qua is, qui alterum laesit, tantum facit quantum satis est ad iniuriam compensandam. Est proinde actus iustitiae. Quemadmodum vero actus iustitiae duplex esse potest, ita et satisfactionis. Alia scilicet, quae fit ad absolutam et perfectam aequalitatem, ut e. g. tantum deferat honoris actio satisfactionis, quantum actio opposita attulit contumeliae. Alia fit ad aequalitatem imperfectam, ut si pro iniuria compensatio ea deferatur, quae licet non adaequata, est tamen ea, quam offensus exigit.

Certum est hominem non posse Deo perfecte satisfacere: sed intercedente acceptatione Dei atque aliqua eius donatione potest homo satisfacere Deo offenso, imperfecte tamen; nequit enim actio hominis tantum honoris Deo exhibere quantum contumeliae vel iniuriae intulit eius peccatum.

II. Inaequalitas inducta per offensam divinam non solum iustitiae sed amicitiae contraria est (in IV. D. XV. q. 1. a. 3); compensatio ergo

pro offensa, utrique, si fieri posset, satisfacere deberet. Verum cum homo per offensam violavit amicitiam Dei, is primo nullam satisfactionem exhibere potest, cui debeatur restitutio amicitiae divinae; quia haec est necessario gratuita, etsi aliquid per gratiam Dei offerre possit, quo impetrare valeat restitutionem amicitiae. Quoad reparationem iniuriae per exhibitionem emendae, quae fiat divinae iustitiae, primo certum est non posse ex se hominem adaequate satisfacere; fieri tamen potest ut Deus acceptet id quod potest homo, et illud quoque exigit. Verum manente statu peccati seu inimicitiae, nequit homo pro culpa ullam satisfactionem exhibere, qua etiam ex parte iustitiae Dei fiat satis ita ut aliquod debitum poenae extingatur, quia poena debita peccato est aeterna, quae semper eadem manet manente peccato. Nihilominus, si ex gratuita liberalitate Dei potest homo, qui peccavit, se disponere divinis auxiliis adiutus, ad obtinendam rursus amicitiam Dei et iustificationem, poterit quoque 1^o) actibus suis, quibus se disponit ad iustificationem exhibere Deo quamdam congruam compensationem pro offensa, quae compensatio, quo maior est, plenior quoque obtineat remissionem peccati quoad debitum poenae, si quidem contingat, quod remissa culpa superesse possit debitum aliquod poenae temporalis, atque 2^o) in hac eadem hypothese poterit iustificatus exhibere satisfactionem pro reliquo debito poenae illudque delere. Supponimus scilicet in hac duplici assertionem quod remissio reatus culpae actualis non ferat secum remissionem omnis poenae temporalis. Hoc quidem mox probabimus. Ratio suppositionis est, quia si id verum non esset, compensatio, quae ante iustificationem affertur, non valeret nisi ad obtinendam congruam gratiam iustificandam, et eo plenior gratiam, quo maior esset compensatio, non vero plenior remissionem poenae, quae semper eadem daretur in quavis iustificatione, in qua totus reatus poenae deleteretur. Porro admissa ea hypothese, advertendum est nos non affirmare quod eodem pacto se habeat compensatio exhibita ante iustificationem et exhibita postea pro remissione poenae. Quae enim exhibetur ante iustificationem, quoniam offertur ab eo, qui debitor est poenae aeternae, non spectat immediate ad extinctionem debiti poenae temporalis, sed mediate; quatenus immediate spectat ad obtinendam gratiam remissivam peccati, quae quo plenior est, maiorem etiam secum fert extinctionem debiti poenae temporalis. Ea autem compensatio, quae exhibetur a iustificato spectat immediate ad extinctionem debiti remanentis poenae.

Censemus autem quod si demonstretur posse remissa culpa superesse aliquod debitum poenae atque iustum posse satisfacere pro reliquo debito poenae temporalis, illud quoque primum certum erit,